Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2957
Quelle:
Copyright:

est, cuinam Ordini ejusmodi potestatem ille concesserit, neque adeo ulterius indagare lubet. Codex mutilus in hanc exit miniatam clausulam: *anno incarnacionis post millesimum quaterque centesimum nonagesimo quarto idus nouembris.* Atqui tunc jam Missalia impressa prostabant.

DCCCXX.

947 Codex membraneus lat. Sec. XVI. Folior. praeviorum 40. subsequorum 9. Operis vero ipsius Pagg. 1212. fol. maj. *Missale* est, nitidissime descriptum ex edit. *Antverpiensi* apud *Cph. Plantinum* MDLXX. cujus Titulus: *Missale Romanum ex Decreto Sacrosancti Concilij Tridentini restitutum. Pii V. Pont. Max. iussu editum. Cum Priuilegijs.* Addit Codex: *Oeniponti*; hic enim *Ferdinandi* Archiducis Com. *Tyrol. Ferdinandi* I. Imp. Filii secundo loco nati auspiciis ingeniosissimum istud Artis pictoriae miraculum adornavit *Georgius Hoefnagel Antverpianus* intra annos 1581 — 88. conductus a Principe munifico 800. Rhenensium stipendio annuo, subque laboris finem donatus 2000. Coronatis aureis, et torque 100. ejusmodi Coronatos adpendente, ut perhibet *J. B. Descamps* in *Vie des Peintres* &c. T. I. *Paris.* 1753. p. 182. 8. Miraculum dixi ingeniosissimum; nam, dum vix satiari potest oculus spectando penicilli artificium, mens jucundissime pascitur mira et felici illa Emblematum, Symbolorum, Inscriptionum, et Versiculorum varietate, quibus Titulos et oras paginarum passim consitas videas, quaeque omnia ipsi Pictori literis Latinis non obiter instituto debentur. *Fol.* 3. sub *Pii* V. Decreto primum occurrit litera G. duobus clavis decussatis confixa, quae *Georgium* notat, clavis (germ. *Nagel*) equorum ungulis (germ. *Huf*, belg. *Hoef.*) infigi solitis cognomen significantibus. At *fol.* 38. p. 2. paullo explicatius legas: *G. Hoef. F.* 83. Ordinem *Missalis*, non est, quod exponam, cum idem sit, qui in Editis, e quibus, ut dixi, descriptum est. Notae *musicae* penitus absunt, quamvis paratae sint iis recipiendis lineae. *Canoni* elegantissima Servatoris cruci subfixi Icon totam implens paginam praemissa est. Insignia *Austriaca* multis locis adcommodata sunt. *Proprio Sanctorum* p. 276. subjicitur annus 1588. Opus in Τετραστιχον definit, quod, cum Picturae nequeam, Musae saltem *Hoefnagelianae* specimen adscribam:

Incipiens a Te labor omnis desinat in Te,
Inque tuo totus numine prosper eat.
Omnia sint operata tibi, mens, vita, laborque,
Ad superam donec nos vocet hora domum.